

SPES HEU NIMIS CITO
INTERCEPTA,
Quam
IN
**VIRO QVONDAM MAXI-
ME REVERENDO, AMPLISSI-
MO ATQVE EXCELLENTISSIMO
DOMINO
HEINRICO
CONRADI,**

S.S. THEOLOGIÆ LICENTIATO,
ECCLESIAÆ GERANÆ PASTORE, HUJUSQUE
ET VICINARUM SUPERINTENDENTE GRAVISSIMO,
CONSISTORII RUTHENO-PLAVIENSIS ADSESSORE PRIMA-
RIO, AC RUTHENEI INSPECTORE VIGILANTISSIMO,
FIDELISSIMO,

*BEATISSIMO QVIDEM, SED PIIS TAMEN
OMNIBUS LUCTUOSO PERQVAM OBITU,
MORTALIUM REBUS DIE IV. JUNI EREPTO, AC IX. EJUS-
DEM SOLENNI RITU IN ADE SS. TRINITATIS TUMULATO,
L. M. Q.
PUBLICO NOMINE
LUGET AC DEPLORAT
ILLUSTRE GYMNASIUM.*

GERÆ,

TYPIS MÜLLERIANIS. M. DC. LXXXIV.



Emo fortassis inter nos fuit, cum ante biennium & quod excurrit, SANCTISSIMUS ILLE SENEX ac ULTRA IPSOS QUADRAGINTA QUATUOR ANNOS DE ECCLESIA NOSTRA LONGE MERITISSIMUS ANTISTES, BEATUS JOHANNES CASPARUS ZOPFFIUS, ELIAS ILLE RUTHENICUS, ISQUE DESIDERATISSIMUS, digressus esset terris, & morte placidâ cō pervenerat, quō, ut Paulinus, vel Ausonius potius canit,

-- *Proceres abiēre pī, quoque integer olim
Raptus quadrijugo penetrat super aēthera curru
Helias, & solidō cum corpore prævius Henoch,*

quoniam vota ad DEUM ac preces conceperit, ut cladem acceptam emendare, vulnus inflictum lenire, & jacturam pro sua in nos bonitate resarcire ac redintegrare vellet. Etenim res parūm auspicata est & propè misera, eos amittere per mortis vim inevitabilem, qui Ecclesiæ Præfecti de rebus fidei docuerunt eximiē, exposuerunt dilucide, timidos erexerunt animosè, pressos solati sunt egregiè, seculi vortices evitandos ostenderunt peritè, viam ad virtutes emunierunt eruditè, pro nostra omnium salute dies pariter & noctes intercesserunt pie. Verum inter lacrymas istas, quibus madebamus toti, & quanquam alta cicatrice nostrum adhuc hiabat vulnus, bona nobis affulgebat spes, salutaris ad instar astri, quæ capitali plagæ ex voto mederi posse videbatur, & res adeò nubilas satis atque obscuras illustrare. Neque enim deficiebat, qui in BEATISSIMI VIRI locum cum singulari succederet laude, & quō, velut tibicine aliquō ac fulcrō, Ecclesiæ nostræ spes niteretur ac salus. Erat is, proh! erat VIR QUONDAM PLURIMUM REVERENDUS, AMPLISSIMUS ATQUE EXCELLENTISSIMUS DN. HEINRICUS CONRADI, SS. THEOLOGIÆ LICENTIATUS, tunc, cum mœror ille nos oppimeret, in AULA ILLUSTRISSIMA ECCLESIASTES PER VIGINTI OCTO ANNOS LONGE MERITISSIMUS. Hic erat, qui labescitibus rebus nostris ac nutantibus succurrere, afflictisque medicinam

nam facere poterat, & Atlas adeò esse, cuius humeris, providentia
ac curæ moles Ecclesiæ maximam partem incumberet ac tuto inni-
teretur. Omnibus ad benè de se sperandum, quasi signum ali-
quod erigebat VIR PRÆCELLENTISSIMUS insigni in rebus
Theologicis doctrinâ, promtâ differendi facultate, singulari mo-
rum probitate, diuturna rerum quarumcunque, Ecclesiasticarum
imprimis, peritiâ & usu, quibus ita pollebat, ut abundaret. Quæ spes
tantò putabatur certior ac firmior, quantò feliciori cum successu &
majori laude Ecclesiæ, quam in AULA ILLUSTRISSIMA colligit
sibi ac fovet DEUS, antea Ipsum præfuisse, nec citra salutem omnium
profuisse, certum erat. Nec poterat aliter, quem ut natura beni-
gnior optimum dederat; ita tot virtutum decora, atque eruditionis
edecumatæ insignis copia longe adhuc meliorem concinnaverant, ut,
quod de Fabricio quondam dixerat Pyrrhus, Epirotarum Rex, citius à
cursu suo Sol, quām ipse à bonitate suâ, humanitate & studio inservi-
endi omnibus deflecti potuisset. Et quis innumera Ejus in Ecclesi-
am merita, quibus nos omnes sibi obstrinxerat pridem, quis labores
& vigilias pro salute omnium suscep tas, quis, quā affabilem se com-
munemque præbebat cuivis, comitatem, quis stupendam in variis
disciplinis eruditionem, quis sinceram denique & ardentissimam il-
lam pietatem, qua tot à cervicibus nostris mala amolitus est, quis re-
liquas animi dotes, non dicam deprædicare satis, sed enumerare sal-
tem queat? Sanè egregius, qui in CONRADO LAUDATISSIMO
hospitabatur, Spiritus tot unus possidebat bona, quot invenire in plu-
ribus aliis, singularis propè fuerit fortunæ. Ut adeò, nisi nobis
felicitatem invidissent vel potius intercepissent fata, ZOPFIUM
OPTIMUM non amisisse, sed reperisse denuò in DESIDERATISSI-
ME CONRADO videri potuissimus. Verùm enim verò quò prolapsæ
sunt spes nostræ? quem nostra habuerunt exitum vota? Occidit,
proh dolor! occidit spes omnis: evanuerunt vota nostra! Vix ad cla-
vum Ecclesiæ cœperat sedere novus Antistes, cum infirmitate gravi-
tentaretur; quæ quamvis deinde remitteret, induciasque faceret & per-
mitteret adeò sacris defungi muniis, quæ insuper habere proximum
sacrilegio crimen existimabat VIR PIENTISSIMUS; vice tamen
non unâ minus auspicata minitabatur malum, quod semel fecerat im-
petum. Tandem Eundem lecto defixum superiori Mense Martio fa-
tali corripiebat morbo, qui pertinaci quādam silentique vi absu-
bat succum pariter vigoremq; omnē. Tantumne? imo & mortis incle-
mentiâ occupabat decumbentem, ferali percutiebat ictu & viventium
rebus decretorio cripiebat ausu. Moritur nempe SANCTISSIMUS
PRÆCO, animamque piissimam in Sospitatoris unici manus æquis-
sima animi mente resignat, idque magno omnium mœrore ac luctu,
qui à

FK La 5567

qui à bonitate tanti Viri multum emolumenti in rem communem si-
bi pollicebantur. De Cæsare dictum legimus , aut nunquam nasci
debuisse tam excellenti natura Virum , aut nunquam mori. Etenim
omnium salutem civium, cunctamque Romanorum Rempublicam
fovebat, conservabat, asserebat, eā animi magnitudine ac felicitate, ut
non modò eorum hominum, qui tunc erant, gloriam, sed etiam anti-
quitatis memoriam superaret. Et tamen, quid egit aliud, quām
quod turbavit armis omnia, & sui potens parum, patriæ libertatem op-
pressit, civiumque sanguine orbem terrarum inundavit? Hinc satius
utique fuisset, hominem aut nunquam adspexisse lucem, aut post nati-
vitatem decessisse illicet, ne, si superesset diu, aut detrimenti afferret
multum, aut mali exempli. Vah verò, quantò rectius licuisset no-
bis optare, nisi votum in naturæ leges fuisset injurium, ne unquam ve-
niret hora, quæ PISSIMUM ANTISTITEM mortalem ostenderet?
Nam si immunem esse à moriendi necessitate divinæ prærogativa na-
turæ est; quis dignior fuerit, qui nunquam excederet vita, quām qui
dispensat mysteria divina, tramitem, quò ad Cœlum itur, sedulò o-
stendit, vitaque indeculpata præit? Æmulatur quippe DEUM, non
qui occidit ac tollit è medio quamplurimos, quod fecisse Cæsarem
perhibent, sed verò qui servat potius & amat fidei suæ commissos, do-
ctrinaque ac monitis pios & felices reddit. Sed nimirum in incerto
atque ambiguo sunt mortalium vota ac spes; & quicquid humanus
sibi promittit animus, id multis casibus elidi potest. Abiisti itaque &
Tu, ANTISTES VENERABILIS, abiisti, quò tua fides & spes anhe-
labat usque, quò & Tuus Te DEUS, vitæ ac necis arbiter, abduxit.
Salve, ô FELICISSIMA ANIMA, turbidis quippe & calamitosis mor-
talium rebus exempta, & Tuum amplexa DEUM, in æternum Vale.
Tuæ pietatis, facundiæ, humanitatis, fidei ac meritorum memoriam,
nulla unquam inter nos delebit ætas. DEUS pro suâ infinita cle-
mentia nostræ iterum prospiciat Ecclesiæ, prospiciat Gymnasio, &
faxit, ut & incolumes sint, qui de Ecclesiâ in dies præclarè prorsus me-
rentur, & suo tempore succedat, qui BEATISSIMI EPHORI
famam sustinere queat! P. P. V. Eiduum Junii

A. O.R.M. DCLXXXIV.



SPES HEU NIMIS CITO
INTERCEPTA,

Qvam

IN

VIRO QVONDAM
ME REVERENDO
MO ATQVE EXCE

DOMINI

HEINRICH
CONRAD

S.S. THEOLOGIAE
ECCLESIAE GERMANAE
ET VICINARUM SUPERINTENDENTIAE
CONSISTORII RUTHENO-PLATEN-
RIO, AC RUTHENEI INSPECTORIS
FIDELISSIMI

BEATISSIMO QVIDER
OMNIBUS LUCTUOSO

MORTALIUM REBUS DIE IV.

DEM SOLENNI RITU IN ADE

L. M.

PUBLICO

LUGET AC

ILLUSTRE

G E

TYPIIS MÜLLERIANIS

